

net in morte“,<sup>82</sup> quia talis non credit sibi contingere gratuitam remissionem peccatorum ex mera Dei misericordia propter Christum, sed manet ira Dei super eum. Ideo non diligit. Magdalena vero dilexit multum, quia credidit multorum peccatorum remissionem, Luc. VII.<sup>83</sup> Sit hoc responsum ad locum  
 5 iustificationis, ut in libello Interim continetur, cum hac finali protestatione in conspectu Dei, quod hoc nostrum iudicium, quantum nos per Dei gratiam intelligere possumus, sincero et candido animo, sine sophistica et calumniis a nobis scriptum est, humiliter petentes, ut, sicut nos studemus gloriae Dei pariter et paci atque concordiae religionis, ita velint pii lectores omnia in  
 10 meliorem partem interpretari. Nos paratissimi sumus, non tantum pro gloria Christi vindicanda et pro salute ecclesiae nostrum iudicium scri- [96:] bere, sed etiam scriptum nostro sanguine, si res postulat, obsignare.

V. De charitate et bonis operibus et de fiducia remissionis peccatorum in 5.,  
 6. et 7. foliis.<sup>84</sup>

15 Qui toto coelo errat in loco iustificationis, ab eo parum boni in reliquis doctrinae christianae articulis est expectandum. Id in hoc libello Interim accidere videmus. Quia enim impie tractat locum iustificationis, non potest recte sentire vel de operibus, ecclesia, ministerio verbi et sacramentis etc. vel de ceremoniis, rebus necessariis et adiaphoris. Cum igitur tenebras ad lucem conferentes deprehenderimus vel in unico loco iustificationis, ut est in libello  
 20 Interim tractatus, meram impietatem ideoque ad aliquot articulos, in quibus maxime se prodidit impietas, breuiter ex scriptura et secundum analogiam fidei responderimus, satis erit ad reliquos articulos, qui nunc sequuntur, in genere respondere, causas, quae breuiter indicare, quibus permoti librum  
 25 Interim acceptare non audemus.

Porro quantum ad hunc locum de charitate et operibus attinet, primum dicimus, quod charitas iustificationem coram Deo non ingreditur, sed eam sequitur. Si enim vel praecederet iustificationem vel in iustificatione concurreret [97:] tanquam necessaria ad salutem, magis impediret quam promoueret  
 30 iustificationem. Nam est immunda pariter et imperfecta. Porro cum omnis non iustificati charitas, virtus, iustitia, opus, officium, exercitium etc. sint immunda, tantum abest, ut ad iustificationem quicquam faciant, quin etiam impossibile sit, ut is vel Deum vel proximum sincere diligat vel alias bene operetur, qui remissionem peccatorum per fidem non est consecutus. „Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum“,<sup>85</sup> hoc est: Quum dilexit  
 35 multum, certissimum signum est, ei remissa esse peccata multa. Sic remissio peccatorum praecedit dilectionem et, ut in creatione, sic etiam in iustifica-

<sup>82</sup> I Joh 3,14.

<sup>83</sup> Vgl. Lk 7,47.

<sup>84</sup> Vgl. Augsburger Interim VII–VIII, 53–59; Augsburger Interim (Ulhart), C 1r–C 2v.

<sup>85</sup> Luk 7,47.